INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXXIII
USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXXXIV

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. JOSEPHI KRAUSE** COMMENTATIO PHILOSOPHICA:
S. BONAVENTURAM IN DOCTRINA DE RERUM NATURALIUM ORIGINE S. AUGUSTINUM SECUTUM ESSE.

BRUNSBERGAE, 1893.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. JULIUS MARQUARDT,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

S. Bonaventuram in doctrina de rerum naturalium origine S. Augustinum secutum esse.

Prooemium.

§ 1.

1. In gravissimis philosophiae naturalis quaestionibus habenda est ea, quae in rerum naturalium origine versatur. Arte autem conjuncta est cum altera de corporum natura quaestione. Et hac ipsa de re duae inter se pugnant sententiae, quas „atomismi“ et „formismi“ nominibus insignire licebit. Quarum haec quidem ad Aristotelem redit mediaque aetate imprimis a S. Thoma Aquinate accuratius definita atque explicita est. Quapropter maxima pars eorum, qui hodie in ceteris rebus S. Thomam sequuntur, „formismum“ quoque defendunt.

2. Secundum S. Thomam enim materia et forma et privatio generalia omnium rerum principia sunt, unumquodque novum corpus per eductionem exsistit i. e. oritur per novam formam essentialem, quae ex potentia materiae operantibus naturae viribus educitur. Quod qua ratione fiat, haud facile dixeris. Quapropter non defuerunt, qui aliis momentis quasi ad auxilium vocatis eam doctrinam evidentiorem reddere studerent. Jam Divus Augustinus, e cujus scriptis mediae aetatis philosophi

formae materiaeque distinctionem ut e proximo fonte desumserunt, ad partes vocat rationes seminales, ut primam primorum corporum originem explicet. Quocum faciunt alii, qui non solum Aristotelem tanquam summum et unum auctorem sequuntur, velut Gulielmus Paris., Alexander Halensis, Albertus M., Udalricus Argentoratensis, Henricus Gandavensis, Bonaventura, Petrus a Tarantasia, Aegidius Romanus.

3. Et Bonaventurae quidem de rationibus seminalibus doctrinam alio loco[1]) explanavimus; hic demonstrabimus, quatenus ille S. Augustini de ea re placitis se addixerit.

I. De rationibus seminalibus.

§ 2.

1. Doctrinam de omnium rerum naturalium principiis substantialibus S. Augustinus ab Aristotele transsumsit neque vero a genuino, sed a Plotiniano Aristotele atque Victorino rhetore interprete[2]). Sic facillime intelligimus, quod acceptis duobus principiis materia et forma, omissa autem privatione, rationes seminales tertium principium esse voluit[3]). Quarum nomina non semper sunt eadem, modo vocat primordia, modo rationes causales, modo radices, modo semina[4]). Respondent ideis divinis, formis aut causis exemplaribus, quas omnibus creatis Deus subjecit; quinimmo ideae divinae ipsae sunt, siquidem ut causae creatrices in mundo apparuerunt.

2. Quadrupliciter, si Augustino fidem habemus, ideae sunt: a) „aliter in Verbo Dei, ubi istae non factae, sed aeternae sunt; b) aliter in elementis mundi, ubi omnia simul facta futura sunt; c) aliter in rebus, quae secundum causas simul creatas non jam simul, sed suo quaeque tempore creantur, in quibus Adam jam formatus ex limo et Dei flatu animatus, sicut fenum exortum; d) aliter in seminibus, in quibus rursus quasi primordiales causae repetuntur de rebus ductae, quae secundum causas, quas primum condidit, exstiterant velut herba ex terra, semen ex herba“[5]). Quas tertio loco nominavit, nihil aliud sunt, nisi rerum essentiae; alterius autem ordinis sunt rationes seminales. Eae sunt inditae a Creatore materiae corporali; sunt vires, quae ex materia primos organismos efficiunt[6]); sunt formae potentiales, quae ab agente exteriore ad actualitatem perducuntur; non

---

[1]) Videsis libellum meum „Die Lehre des hl. Bonaventura über die Natur der körperlichen und geistigen Wesen und ihr Verhältniss zum Thomismus.“ 1888, p. 21 sqq. — Censor quidam hujus libri (Theologische Literaturzeitung, herausgegeben von E. Schürer und A. Harnack, No. III 1889) me reprehendit, quod non satis Augustini rationem habuerim; immerito quidem, quoniam ea collatio fines quaestionis, quam mihi proposueram, excessisset. Quod vero illi viro docto neglexisse videor consultoque praetermisi, id hac commentatione absolvere studebo.

[2]) Cf. Nourisson, La philosophie de S. Augustin, Paris, tom. II p. 127 et 132. — Grassmann, Die Schöpfungslehre des heiligen Augustinus und Darwins, p. 19. Wörter, Die Geistesentwickelung des heil. Aurelius Augustinus bis zu seiner Taufe, p. 39 sqq.

[3]) Cum rationibus seminalibus congruunt λόγοι σπερματικοί Stoicorum, quos non spernit Plotinus, sed minus corporales sumsit. Vestigia magis premit Stoicorum S. Augustinus, sed vix opus est monere, eum in origine eorum deducenda dissentire. Cf. Baeumker, Das Problem der Materie in der griechischen Philosophie, p. 356 sqq. et p. 413.

[4]) De Gen. ad. lit. V n. 11, n. 20 et saepius. —

[5]) De Gen. ad lit. VI n. 17. —

[6]) De vera rel. c. 42; de Gen. ad. lit. VI n. 17; de Trin. III n. 13. —

sunt semina rerum proprie dicenda, quanquam S. Augustinus passim ita nominat, immo producuntur organismis, qui ex rationibus seminalibus orti sunt, supponunt igitur exsistentiam rerum ex rationibus seminalibus jam natarum[7]).

3. Namque ex S. Augustini sententia Deus mundum uno actu (hoc enim vult verbum „simul") creavit neque vero finitum, sed quasi chaos i. e. „rudem indigestamque molem", quae primum elementa tantummodo aquae et terrae continebat[8]). Hanc vero materiam creans infudit ei rationes seminales, quapropter una cum his inde a primo mundi momento universa ac singula in materia subsistebant[9]); et conformatae sunt variae rationes seminales ad varias species animantium[10]). Tali modo etiam paradisus[11]) et corpus protoplasti hominis[12]) in materia praeformata erant. Quin etiam anima hominis immaterialis inde ab initio condita tamdiu latuit, donec die sexta cum corpore conjuncta appareret. „Credatur ergo", inquit Augustinus, „si nulla scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexta die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi, anima vero jam ipsa crearetur, sicut primus conditus est dies et creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est inspirando formato ex limo corpori insereret"[13]).

4. Ex hac materia originali sensim temporum intervallis a Deo praefinitis accedentibusque conditionibus omnes animantes per rationes seminales in ea latentes prodierunt: bestiae aquatiles et aves ex aqua, e terra terrestria animalia et plantae[14]). Conditionibus igitur externis debetur, quod rationes seminales ex statu potentiali excitantur atque perducuntur ad activitatem.

5. Sed forma atque status creaturarum nascentium nondum fuerunt perfecta, verum ex imperfectione paulatim evoluta, alia aliis temporibus, prout diversa earum species secum tulit, perfectionem assecuta sunt. Animalium et plantarum primus ille status idem fuit, qui nunc est ipso nascendi vel germinandi momento[15]). Corpus protoplasti hominis verisimile videtur statim perfectum apparuisse in mundo, ubi primum informatum fuit ab anima rationali[16]).

---

7) De Gen. ad lit. V n. 9: „Apparet, semina esse orta ex herbis et lignis, non autem illa ex seminibus, sed ex terra."

8) De Gen. c. Man. I n. 9.

9) De Gen. ad lit. V n. 9, n. 10, n. 11, n. 45; de Trin. III n. 13, n. 16.

10) De Gen. ad lit. V n. 14: „Sic terra ad Dei verbum ea produxit, antequam exorta essent, accipiens omnes numeros eorum, quos per tempora exsereret secundum suum genus." Cf. De Gen. c. Man. I. n. 25, III n. 23, V n. 14, VI n. 23. —

11) De. Gen. ad lit. V n. 35; VIII n. 6. —

12) De Gen. ad lit. VII n. 35: „Illud ergo videamus, utrum forsitan verum esse possit, quod certe humanae opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus, quae simul omnia creavit, animam etiam humanam creasse, quam suo tempore membris ex limo formati corporis inspiraret, cujus corporis in illis simul conditis rebus rationem creasset causaliter, secundum quam fieret, cum faciendum esset corpus humanum."

13) L. c.

14) De Trin. III n. 13: „Omnium quippe rerum, quae corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quaedam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent. Alia sunt enim haec jam conspicua oculis nostris ex fructibus et animantibus, alia vero illa occulta istorum seminum semina; unde jubente Creatore producit aqua prima natalitia et volatilia, terra autem prima sui generis germina et prima sui generis animalia. Neque enim tunc in hujusmodi foetus ita producta sunt, ut in eis, quae producta sunt, vis illa consumta sit, sed plerumque desunt congruae temperamentorum occasiones, quibus erumpant et species suas peragant."

15) De Gen. ad lit. VI n. 25, V n. 44, VI n. 23. — Cf. Grassmann, Die Schöpfungslehre des heiligen Augustinus und Darwins, p. 59.

16) De Gen. ad lit. VI n. 29: „Quapropter, si omnium futurorum causae mundo sunt insitae, cum ille factus est dies, quando Deus creavit omnia simul; non aliter Adam factus est, cum de limo formatus est, sicut est credibilius jam perfectae virilitatis, quam erat in illis causis, ubi Deus hominem in sex dierum operibus fecit." Cf. VI n. 23.

6. Hoc modo ex rationibus seminalibus primis uniuscujusque speciei organismis ortis, vis atque operatio earum desiit; organismi propagati atque generati sunt modo ordinario semine ab ipsis procreato. Ergo nihil aliud nisi ortus animantium et primarum quidem animantium uniuscujusque speciei ab Augustino rationibus seminalibus tribuitur. Quibus alias non utitur ad philosophandum nisi in eis viventium speciebus, quae „generatione aequivoca generantur;" de qua re mox dicemus.

7. Anorganica vero inde a principio perfecta plenique voluminis unumquodque particeps manifesta fieri Augustinus voluit: „Fortassis quippe ita homo factus sit in die sexto, sicut dies ipse primitus factus est, sicut firmamentum, sicut terra et mare. Neque enim haec dicenda sunt ante in quibusdam primordiis jam facta latuisse, ac deinde in hanc faciem, qua mundus exstructus est, accessu temporis tanquam exorta claruisse, sed ab exordio saeculi, cum factus est dies, conditum mundum, in cujus elementis simul sunt condita, quae post accessu temporis orirentur vel fruteta vel animalia quaeque secundum suum genus"[17]).

8. Quod igitur ad entia anorganica attinet, Augustinus evolutionem, qualis est organicorum, omnino spernit. Et tamen ea in anorganicis plus haberet, quo defendi posset, quam in organicis. Nam formationes anorganicae magis continentur in materia originali magisque efficiuntur evolutione virium ejus quam organicae.

9. Hunc inter primum organismorum ortum, qualem Augustinus docet, et generationem aequivocam, quam hodie vocant, nihil est commune. Organismi enim Augustiniani debentur voluntati creatrici Dei, non materiae anorganicae per se.

10. S. Augustinus suam de origine animantium et plantarum sententiam ubique conciliare studet cum S. Scripturae narratione. Sed quae de praeexsistentia humani et corporis et animae in medium profert, stare non poterunt. Consequens enim inde esset, ut etiam anima humana e materia processisset, vel ut anima praeexsisteret ita, ut Plato censuit. Id quod vel S. Scripturae adversatur, quae integrum hominem immediate a Deo formatum esse refert; adversatur denique naturae animae, quippe quae per se haud magis completa substantia sit, quam corpus; siquidem et illa et hoc, ut exsistant, ab alterius exsistentia pendent, de qua re explicatius disserit S. Thomas. [18])

§ 3.

1. Bonaventura saepenumero in doctrina de homine humanaque cognitione Augustini placitis nititur. Eis suam quoque de novorum essentium origine doctrinam debet, neque tamen simpliciter acceptam sed magis explanatam. Nam Bonaventura quoque, ut novorum essentium originem declaret simulque formam e materia eductam ostendat, rationes seminales in suum usum convertit, summatim quidem haud aliter eas interpretatus atque Augustinus, sed accuratius eas definiens. „Cum satis constet", inquit Bonaventura, „rationem seminalem esse potentiam activam inditam materiae et illam potentiam activam constet esse essentiam formae, cum ex ea fit forma mediante operatione naturae, quae non producit aliquid ex nihilo: satis rationabiliter ponitur, quod ratio seminalis est essentia formae producendae, differens ab illa secundum esse completum et incompletum, sive secundum esse in potentia et in actu." [19]) „Si ratio seminalis est forma exsistens secundum esse incompletum

---

17) De Gen. ad lit. VI n. 2.

18) S. th. I q. 118 a 3.

19) II S. d. 18 a. I. q. 3.

in materia et indifferens et possibilis ad multa producenda, potest dici in sensu largiori forma universalis."[20]) „Forma universalis non est aliud quam forma totius, quae, cum de se nata sit esse in multis, universalis est; particularizatur autem non per additionem ulterioris formae, sed per conjunctionem sui cum materia, ex qua conjunctione materia appropriat sibi formam et forma materiam." [21]) Quare ratio seminalis est ita determinata ad formam talis speciei producendam, quod non potest ex illa essentia sive ratione seminali alia educi, et cum in actum educta est, habet esse et habet tale esse. Quod autem sit talis speciei, hoc habet ab eo, qui primo hujus formae essentiam indidit materiae, alioquin nunquam natura ipsam ad esse perduceret, nisi Deus ipsam materiae indidisset."[22]) „Potentia igitur illa activa (i. e. ratio seminalis), quae prius latebat, adjuta ex actione coelestis corporis proficit et venit ad perfectionem et complementum, ita quod nec coelum nec motor coeli dat sibi formam ultimam, sed solum adjuvat et excitat, ut potentia illa proficiendo ad speciem completam veniat." [23]) „Potentia illa indita a Creatore materiae corporali et ei innitens et ab ea dependens vocatur etiam spiritualis, quia mole caret corporali." [24])

2. Quae Augustinus promiscue dixerat „seminarium, semina, rationes seminales, naturales, primordiales, causales", Bonaventura distinguit. „Seminarium est ipsa essentia formarum seu aggregatum ipsarum, quas Deus concreavit cum materia prima in eaque indidit non quidem infinitas, sed finitas secundum multitudinem specificam, non individualem. Individualitas oritur ex conjunctione actuali et exsistentia materiae cum forma. Quare et appellatur tale seminarium sinus formarum in materia contentus, quia in eo insunt rationes seminales et semina rerum. Semen dicitur ex quo; est enim materia disposita a ratione seminali et e dispositionibus introductis ad formam talis speciei gignendam et non ad aliam. Si aliquando degenerat forma ab illa specie, id evenit, non quod mutetur forma, sed ob dispositiones diversas, ob quas altera forma, quae erat in seminario, educitur." „Rationes naturales et seminales re idem sunt, ratione vero differunt. Ratio seminalis attenditur, in quantum dirigit potentiam naturae, ut ex aliquo fiat aliquid, naturalis vero, ut ab aliquo fiat aliquid; ratio seminalis respicit inchoationem et intrinsecam virtutem, quae movet et operatur ad effectus productionem, naturalis vero concernit producentis ad productum assimilationem et modi agendi assuetudinem." „Rationes causales et seminales sic inter se differunt: „Rationes causales sunt formae ideales sive exemplares eaeque regula agentis increati, seminales sunt formae naturales eaeque regula agentis creati."[25]) „Ab illis sola ratione distinctae rationes primordiales dicuntur per privationem prioris, sed causales per positionem posterioris; et primordiales, in quantum respiciunt Deum ut principium primum, causales, in quantum respiciunt Deum ut finem ultimum, qui est causa causarum."[26]) „Rationes causales et seminales uno modo se habent sicut generale et speciale; alio modo, si fiat appropriatio, causales sunt, quae servatae sunt in mente divina, seminales vero, quae sunt rebus insertae." „Quando autem quaeritur, utrum aliquis effectus fiat secundum rationes causales an seminales, respondendum est, quod aut sic est a deo ille effectus, quod creatura non habet in eo potentiam aliquam; aut si habet, habet solam potentiam obedientiae, et

---

20) L. c
21) L. c.
22) II S. d. 15 a. 1. q 1.
23) L c.
24) L. c.
25) II. S. d. 18 a. 1. q. 2.
26) L. c.

haec fiunt secundum rationes causales, quas Deus servavit in sua voluntate, quia non fiunt secundum exigentiam creaturae, sed secundum exigentiam dispositionis aeternae. Si autem sic producitur effectus, quod est in potentia naturae, non solum obediente, sed etiam potente ad actum perducere, sic dicitur fieri secundum rationes seminales, sicut patet, cum arbor generatur ex arbore"[27])

3. Experientia constat, novas semper oriri corporalium rerum formas naturales, tum per generationem perfectam et proprie dictam, quae a S Thoma definitur „origo alicujus viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturae"[28]), tum per generationem imperfectam, qualis est in mixtionibus, cum ex diversarum substantiarum combinationibus chimicis novum aliquod corpus resultat. Utrique generi novorum corporum Bonaventura vindicat rationes seminales. „Ex rationibus seminalibus fiunt omnia, quae naturaliter producuntur."[29]) Augustinus contra imprimis animantes primum natas ad rationes seminales revocat.[30])

4. De modo autem, quo rationes seminales materia contineantur, Bonaventura cum Augustino consentit. Nempe ratio seminalis tanquam forma novi corporis jam potentialiter in materia praeexsistit. „Aliquid enim potest intelligi praeexsistere in altero tripliciter: a) eminenter sive virtualiter secundum causativam potentiam, eo modo, quo effectus continetur in virtute suae causae; b) actualiter i. e. secundum actualem exsistentiam, ut lumen in sole; c) potentialiter, quatenus potentia et actus dicunt non diversas substantias dividentes ens, sed quatenus diversos modos essendi, secundum quos eadem res, quae nunc est in potentia, postea fit in actu, ut formae ex esse potentiali in materia transeunt ad actuale esse. Et hoc modo esse in potentia dicunt aliquid ipsius rei producendae, scilicet quendam modum incompletum intrinsecum, et dum transit ad actum, alio modo intrinseco se habet, ut verbi gratia rosa seu rosea forma in globo est incompleta, completa autem est in flore; tunc de esse incompleto illa forma praeexsistens educitur ad esse completum; dumque ea est incompleta, est sub modo potentiali ad complementum, et sub actuali, quando complementum habet." Tali ratione potentiali, quam modo delineavimus, ex Bonaventurae sententia ratio seminalis in materia inest, quae in actum traducta extrinsecus et a materia dependens novum corpus producit. Quid? quod ne corrupto quidem corpore ea ratio seminalis plane deperit, sed remanet in materia.[31]) Unde sequitur, ut materia, quia rationis seminalis substratum est, semper sub aliqua forma non possit quin exsistat. Quamobrem si Bonaventuram audimus, neque generationem neque corruptionem licet cum S. Thoma Aequinate ad primam materiam referre; quippe qui rationes seminales, quales ille statuit,

---

[27]) L. c.

[28]) S. th. I q. 27 a. 2. Cf. Bonavent. I S. d. 9. a. 1. q. 1.: „Notandum, quod generare de sui propria ratione est similem sibi in substantia et natura producere. Sibi vero similem contingit produci tripliciter . . . tertio modo per productionem similis de simili sive de se ipso, et sic generatur animatum ab animato; et iste tertius modus est perfectior, unde non reperitur nisi in substantiis habentibus formam nobilem, quae est vita."

[29]) II S. d. 7 dub. 3.

[30]) Cf. supra § 2.

[31]) IV S. d 43 a 1. q. 4: „Supponamus nunc, quod natura aliquid agat, et illud non agit ex nihilo et, cum agat in materiam, oportet, quod producat formam. Et cum materia non sit pars formae, nec forma fiat pars materiae, necesse est aliquo modo formas naturales esse in materia, antequam producantur; et substantia materiae praegnans est omnibus; ergo rationes seminales omnium formarum sunt in ipsa. Sed ad illud stat resolutio, a quo incipit generatio: ergo nulla forma omnis corrumpitur, sed manet in materia post corruptionem, sicut manebat, antequam produceretur; et sic dicit Augustinus. Unde formas in materia ante productionem dicit esse quantum ad rationes seminales; dicit etiam resolvi ad materiam sicut ad occultissimos sinus naturae" Ibidem q. 5 legitur: „Semper manet substantia materiae cum ratione seminali." Cf. August. II de moribus Manich. c. VI. n. 8 sq.

non accipiat. S. Bonaventura enim censet, illas effici mutatione substantiali materiae jam formatae: generatio ita fit, ut forma in materia potentialiter latens actualis evadat[32]), corruptione forma actualis substantialis in statum potentialem rejicitur fitque denuo ratio seminalis.[33]) Est autem agens quoddam naturale exterius (generans), quod rationem seminalem impellit, ut in formam actualem transeat[34]) — idem, quod S. Augutinus docuit, cum evolutionem primordiorum a Deo materiae inditorum pendere facit a conditionibus exterioribus ordineque a Deo constituto.[35]) Quocirca S. Bonaventurae sententiam de vi atque efficacitate rationum seminalium breviter in hunc fere modum complectemur: „eas tanquam formas corporeas a Deo concreatas fuisse in materia simul cum materia in eaque veluti in seminario collocatas et inesse secundum potentiale esse; et ab agente extrinseco eas educi de illo statu potentiali ad exsistentiale completum.“ Ut igitur novum ens oriatur, vel quod idem est, ut forma e materia educatur, exiguntur quinque haec: I. necesse est materia praeexsistat sub alia forma; II. forma educibilis sit simplex, non hoc aliquid; III. tota essentia formae sit creata in materia in esse imperfecto; IV. ab agente producatur de potentia in actum; V. forma sit corruptibilis.

5. Rationes seminales igitur Bonaventurae, quia eas statuit esse formas potentiales et virtutes activas, certam quandam exsistentiam habent supponuntque propterea esse aliquid completum, in quo exsistunt. Quo concesso concessa est formarum in uno eodemque composito pluralitas; quae tamen sententia et a Thoma Aquinate et a plurimis aliis mediae aetatis philosophis impugnatur. Sane Bonaventura quoque unitatem formae substantialis postulat, sed formam substantialem in sensu proprio, „formam ultimam et completam, quae dat esse perfectum et specificum sive distinctum et limitatum.“[36]). Ab hac forma completa incompletas discriminat et hasce ponit una cum completa in una eademque substantia exsistere posse, sive in organica substantia sive in anorganica. Ut potentiales formae formae completae, quae est actualis, subjectae sunt vinctaeque in activitate et energia, inserviunt formis completis, retinent autem appetitum quendam sui cujusdam juris et efficaciae. Revera sui juris fiunt denuo, quando substantia corrumpitur. Non quidem diffidendum est, Bonaventuram pluralitatem formarum in composito nunquam ex professo tractasse, sed praeter theoriam rationum seminalium multi ejus librorum loci haud dubie eam testantur.[37])

6. S. Bonaventura non solum primigeniorum entium ortum ad rationes seminales revocat, ut Augustinus, qui tamen propagationem animantium ex sola generatione repetit, sed omnia entia, quotquot etiam postea exstiterunt, ex rationibus seminalibus oriri facit, recte is quidem. Nam non solum quoad primum ens, sed etiam quoad omnia posteriora eadem quaestionis difficultas recurrit, quomodo forma ex materia educatur. Quae quaestio in posterioribus entibus vel difficilior fit, quam in primis. Namque prima in creatione origo singulorum generum posset etiam directae Dei operationi attribui.

---

32) II S. d. 7 p. II a. 2 q. 1.: „Et cum producitur nulla quidditas, nulla veritas essentiae inducitur de novo, sed datur ei nova dispositio, ut, quod erat in potentia, fiat in actu.“ Cf. II S. d. 18 a. 1. q. 3.

33) I S. d. 8 p. I a. 2 q. 2: „Mutatio autem tripliciter . . . alio modo ab ente simpliciter in ens in potentia sive secundum quid, et haec est mutatio secundum formam et dicitur corruptio.

34) II S. d. 7 p. II a. 2 q. 2; IV S. d 43 a. 1. q. 4; II S. d. 8 p. I a. 2 q. 1.

35) De Trin. III n. 13 et 16, et saepius.

36) I S. d. 8 p. II q. 1.: „Unius perfectibilis una sola est perfectio“ Cf. I S. d. 24 a. 1. q. 1. et d. 8. p. II q. 3.

37) Cf. II S. d. 15 a. 1. q. 2 et 3; IV S. d. 44 p. I dub. 4; II S. d. 1. p. II a. 1. q. 2 et a. 3. q. 2, d. 3 p. I dub. 2, d. 17 a. 1. q. 2; III S. d. 6 a. 2 q. 1.; II S. d. 13 a. 2 q. 2; II S. d. 14 p. II. a. 2. q. 2; IV S. d. 48. a. 2 q. 3 et 4; Hexaëm. serm. 4 (divisio 3) et serm. 1.

II. De generatione aequivoca.

§ 4

1. S. Augustinus item atque Aristoteles „generationem aequivocam“ accipit, sed aliter interpretatur. Sane minutissima quaedam animalia haud tacet ex rebus anorganicis, „ex vivorum corporum vitiis vel purgamentis vel exhalationibus aut cadaverum tabe vel ex corruptione lignorum et herbarum vel ex corruptione fructuum“[38]) sine sexu gigni. Ideo concludit, semen non iis inesse, sed „in elementis, ex quibus oriuntur“; non igitur veram subesse generationem, qua aliae animantes esse incipiant.[39]) Ratiocinatio, quae adhuc quasi Aristotelica visa est, deinde ab ea differt. Si animantes, pergit S. Augustinus, ex anorganicis rebus exsistunt, redintegratur idem processus, qui in origine mundi circa primas animantes factus est i. e. rationum seminalium operatio.

2. Sic Augustinus docet, animalia minutissima, quae sibi persuasit sine generatione exsistere, ex rationibus seminalibus prodire. Quae rationes a Deo mari terraeque indítae tempore opportuno illis animalibus praebent exsistendi facultatem, velut ranae ex terra crescunt Aliae, in animantibus collocatae, harum post mortem novo cuidam entium generi ansam vivendi praebent. Quibus entibus Augustinus, longius quam Aristoteles procedens, adnumerat talia, „quae de quibusdam rebus sine concubitu ita nascuntur, ut postea concumbant et generent, ut muscae.“[40])

3. Ex duobus igitur momentis pendet generatio aequivoca: ex rationibus seminalibus et ex Dei creatione. „Inerat“, ait Augustinus, „jam omnibus animatis corporibus vis quaedam naturalis et quasi praeseminata et quodammodo liciata primordia futurorum animalium, quae de corruptionibus talium corporum pro suo quaeque genere ac differentiis erant exortura, per administrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore.[41]) Sic sumta generatio aequivoca nullos jam scrupulos movet.

§ 5.

1. S. Bonaventura de explicanda „generatione aequivoca“ consentit cum Augustino. Uterque rationibus seminalibus usus difficultatem organicorum originis ex anorganicis repetendae tollit. Tunc enim animans generatione aequivoca orta non reducenda est ad res anorganicas, sed ad formam in hisce materiis potentialiter latentem organicam, quae ad actualitatem pervenit processu nascendi. Sic igitur nova animans revera suam originem testatur esse non anorganicam sed organicam. Et generatio, de qua nunc agitur, aequivoca non essentialiter discrepat a propria generatione. In generatione propria

---

38) De Gen. ad lit. III n. 22.

39) De Gen. ad lit. III n. 19: „Observatum est, quaedam ita nasci ex aquis vel terra, ut sexus eis nullus sit; et ideo semen eorum non sit in eis, sed in elementis, ex quibus oriuntur.“

40) De Civ. Dei XV 27. — Augustinus plantas quoque videtur credere diluvio ubique sublatas denuo „generatione aequivoca“ revixisse. Nusquam enim memorat, illas propagatas esse ex seminibus, quod disertis verbis contendit de animalibus ex arca reversis. Cf. Grassmann, l. c. p. 72.

41) De Gen. ad lit. III n. 23.

majori tantum vi ex Bonaventurae sententia opus est, ut rationes seminales in actum traducantur;[42] in illa generalium causarum efficacitas sufficit.[43] Eadem quoque vis divina modo propagationi ordinato operatur operaturque germinum in elementis repositorum evolutione.

2. Facile igitur Augustinus et Bonaventura doctrina rationum seminalium „generationem aequivocam“ explicuerunt. Contra apud S. Thomam et sectatores ejus illa eorum doctrinae de materia aperte repugnare videtur. Haec enim hisce philosophis principium mere passivum est;[44] et nihilo secius idem principium passivum volunt in „generatione aequivoca“ vim habere novorum entium faciendorum.[45]

III. De materia.

§ 6.

1. Nobis si sermo est de materia ut principio substantiali corporum, intelligitur materia prima, de qua S. Augustinus fusius disserit in Confess. XII. Perdifficile sibi fuisse fatetur, veram materiae primae notionem enucleare; quo magis gaudet, eam se intellexisse. Materiam primam arbitratur non modo esse cogitatam, sed vere realem, neque tamen actualiter exsistentem, sed potentiam substantialem omnium rerum; omni forma carere, sed omnibus formis esse substratam; subesse omnibus rerum mutationibus neque tamen ipsam his mutationibus ullo modo affici; esse „quiddam inter formatum et nihil, nec formatum nec nihil, informe prope nihil“[46]

2. In ipsa creationis explicatione hac notione utitur. Primum distinguit inter materiam spiritualem et corporalem, prout mundo corporali vel spirituali substrata est. Ex corporali materia censet, Deum formasse mundum visibilem. Praedicat eum his verbis: „Tu, Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re paene nullam rem, unde faceres magna, quae miramur filii hominum.“[47] Attribuitque ei materiae has qualitates „informis, invisibilis, incomposita“: „Terra autem ipsa, quam feceras, informis materia erat, quia invisibilis erat et incomposita et tenebrae super abyssum“[48] Dicit eam, ut supra vidimus, terram „quia in omnibus mundi partibus nihil reperiri potest propinquius informitati omnimodae quam terra.“[49]

3. Quanquam S. Augustinus, nisi quid me fallit, hanc notionem primae materiae non semper probe tenet. Praedicat enim de ea nonnulla, quae rectius praedicarentur de materia sensu physico, velut cum dicit, eam cum rebus corporalibus, quas contineat, una creatam mundumque creatum esse

---

[42]) II S. d. 8 p. I a. 2. q. 1.: „E contrario est de animalibus utroque modo perfectis, et ideo virtus productiva ipsorum majorem exigit actualitatem, et ratio seminalis cum majori difficultate profertur in actum, ideo majori indiget adjutorio.“

[43]) L. c.: „Ad quaedam educenda sufficit causa universalis sine adjutorio agentis particularis consimilis in specie naturae, cujusmodi sunt animalia, quae generantur per putrefactionem.“

[44]) Thomas, S. II d. 18. q. 1. a. 2: „Materia coadjuvat ad generationem non agendo, sed inquantum est habilis ad recipiendum talem actionem, quae etiam habilitas appetitus materiae dicitur et inchoatio formae.“

[45]) Cf. Schwertschlager, die erste Entstehung der Organismen nach den Philosophen des Altertums und des Mittelalters p. 94.

[46]) Conf. XII c. 6.

[47]) Conf. XII c. 8.

[48]) L. c.

[49]) Conf. XII c. 4.

ex ea. Quin etiam, si quid video, non satis discrimen premit, quod intercedit inter materiam primam et „materiam universalem", quam vulgo nuncupant chaos. Neque semper vel accurate ratione habita contextus facile intelligimus, utram materiam uno quoque loco agnosci velit. Jam igitur non demirabimur, quod etiam Geneseos illud „coelum et terram", quibus verbis materia, ex qua Deus omnia creavit, significatur, S. Augustinus dupliciter accipit. Modo „coelum et terram nullam jam formatam perfectamque naturam sive spiritualem sive corporalem, sed utramque inchoatam et adhuc informem vult intelligi", [50]) modo „universam creaturam, quam fecit et condidit Deus."[51]) Hoc loco materiam eam esse, quae re vera exsistat, apparet ex his verbis: „Primo ergo materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent, quae distincta atque formata sunt, quod credo a Graecis chaos appellari. Sic enim et alio loco legimus dictum in laudibus Dei: Qui fecisti mundum de materia informi (Sap. 11, 18), quod aliqui codices habent de materia invisa."[52])

4. Haud ignoro equidem esse, qui referant haec verba ad materiam primam, sed vix recte, quanquam illi quaedam attribuuntur, quae alibi attribuit S. Augustinus materiae primae. Nam illi verbo chaos eandem vim tribuit Augustinus quam Graeci; et hisce chaos nihil aliud fuit nisi moles indigesta. Sed nonne refragatur verbum, quod est „informis?" Si materia „informis" vocatur, inde non consequens est, ut omni forma destituta fuerit, sed ut certa et absoluta forma caruerit; verbum fere idem significat, quod confusa, cui hic sociatur. Materia igitur hoc loco, quanquam aliquam formam habet, appellatur informis et confusa, quia non est una et distincta, sed quia omnia elementa continet indistincta, quae tamen Deo cooperante ut distincta et formata ex se dimittit. Id quod confirmatur loco allato (Sap. 11, 18), ubi S. Augustinus verbum „materiae informis" praefert „materiae invisae." Illud verbum est versio termini ὕλη ἄμορφος in LXX et nihil aliud significat quam chaos, i. e. materiam jam aliqua ex parte formatam. Ceterum eadem materia ab Augustino etiam plus semel „invisa" appellatur iisdemque locis „informis et incomposita." Sufficiat haec ejus verba attulisse: „Itaque si hoc ante omnem diem fecit, sicut ante istorum primorum dierum commemorationem scriptum est: „In principio fecit Deus coelum et terram, ut in terrae vocabulo intelligamus jam formatam terrenam speciem superfusis aquis ista jam visibili specie sui generis declaratis: ut in eo, quod sequitur Scriptura dicens: Terra autem erat invisibilis et incomposita et tenebrae erant super abyssum, et Spiritus Dei superferebatur super aquas, nullam opinemur informitatem materiae, sed terram et aquam sine luce, quae nondum erat facta, suis jam notissimis qualitatibus conditas; ut ideo terra invisibilis dicta intelligatur, quod aquis cooperta non posset videri; ideo vero incomposita, quia nondum a mari distincta et cincta littoribus et suis fetibus animalibusque decorata — si ergo ita est, cur istae species, quae procul dubio corporales sunt, ante omnem diem factae sunt."?[53]) Quae si recte disputavimus, Augustinus ejusmodi qualitates „informis, incomposita, invisa" materiae utroque sensu adjudicat.

5. Quodsi S. Augustinus saepius premit, materiam statim initio a Deo creatam fuisse eamque vult esse materiam primam proprio sensu, fallitur. Si enim creata est et per se est creata, sequitur, ut propria quoque exsistentia non sit destituta. Creatio est transitio ab exsistentia possibili ad realem. Quod vero materiam informem, quae est materia prima, „ante omne tempus creatam"[54]) fuisse dicit, ne hoc quidem simplex atque dilucidum est, quoniam cum creatione ex sua sententia tempus incipit.

---

50) Conf. XII c. 24.
51) De Gen. c. Man. I n. 9. —
52) L. c.
53) De Gen. ad lit. I n. 27. Cf. De Civ. Dei XI c. 9.
54) Conf. XII c. 12.

6. Accedit, quod nomina, quae S. Augustinus materiae primae indidit, eorumque interpretatio indicant, si accurate rem perpendimus, materiam jam formatam. „Informis illa materia“, inquit, „quam de nihilo Deus fecit, appellata est coelum et terra, non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat, quia quasi semen coeli et terrae erat, cum in confuso adhuc esset coeli et terrae materia.“[55]) „Dicta est aqua, quia omnia, quae in terra nascuntur, sive animalia, sive arbores vel herbae et si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri; quia facilis et ductilis subjacebat operanti, ut de illa omnia formarentur.“ [56]) Tota adumbratio minus convenit materiae primae, quam materiae rudi et imperfectae, sed tamen jam subsistenti, cui tamen conditiones vitae organicae jam non desunt.

7. Hoc creationis exponendae modo S. Augustinus ea, quae in materiam exsistentem quasi „fundamentum reliquarum rerum omnium“ omniumque evolutionum principium cadunt, transfert ad materiam primam, quae ut potentia pura omnium formarum capax est, ipsa tamen omnis formae expers.[57])

§ 7.

1. Apud Bonaventuram materia prima per se sumta plane eadem est atque apud Augustinum;[58]) neque tamen cum eo illam distinguit in spiritualem et corporalem, immo unam eandemque putat. „Materia in se considerata“, inquit, „nec est spiritualis nec corporalis; et ideo capacitas consequens essentiam materiae indifferenter se habet ad formam sive spiritualem sive corporalem; materiae consequens esse in spiritualibus et corporalibus est alia et alia.“ [59]) Pariter atque in hac quaestione discedit ab Augustini sententia altera, simultaneam dico creationem. Nempe verisimile habet, „omnia corporalia simul esse creata secundum materiam, non autem simul, sed per sex dies esse distincta secundum formam.“[60]) Omnia igitur corpora inde ab initio seminaliter insunt in materia a Deo creata, ex qua sex dierum spatio evolvuntur. Hanc vero materiam realiter exsistentem peculiari quodam modo describit: „Materia illa producta est sub aliqua forma, sed illa non erat forma completa nec dans materiae esse completum; et ideo (Deus) non sic formabat, quin adhuc materia diceretur informis, nec appetitum materiae adeo finiebat, quin materia adhuc alias formas appeteret, et ideo dispositio erat ad formas ulteriores, non completa perfectio. Et quoniam ad multas formas materia informis appetitum et inclinationem habebat, ideo, quamvis illa forma non haberet in se naturas diversas, tamen materia in diversis suis partibus quandam diversitatem imperfectam habebat, non ex diversis actibus completis, sed magis ex appetitibus ad diversa, et ideo permixta dicitur et confusa. Sicut exemplum ponitur in embryone, quod actu habet unam formam et figuram quandam massae carnis, illa tamen est dispositio ad diversas membrorum figurationes. Istud tamen non est omnino simile, quia forma illa non erat tantae actualitatis, sicut est forma embryonis, nec in tanta propinquitate ad eductionem formarum sequentium sicut forma embryonis ad eductionem membrorum. Forma

---

[55]) De Gen. c. Man. I n. 11.

[56]) L. c. n. 12.

[57]) Cf. Scheeben, Handbuch der katholischen Dogmatik, p. 107: „Wie bei der Krönung des Sechstagewerks durch die organischen Wesen, so muss Augustinus auch bei der Fundamentirung desselben die Schilderung des Chaos, die nach dem Wortlaute einen verworrenen physischen Zustand der Erde, welcher der Formation zeitlich vorausgeht, darstellt, umdeuten in eine poetische Schilderung des metaphysischen Begriffs der materia prima als des in allen irdischen Dingen vorhandenen Substrats ihrer Formen, welches nur in abstracto als formlos bezeichnet und nur in Gedanken von der bereits aktuell vorhandenen Form geschieden oder vielmehr unterschieden werden kann.

[58]) Vide libellum meum „Die Lehre des hl. Bonaventura etc.“, p. 7. sqq.

[59]) II S. d. 3. p. I. a. 1. q. 2.

[60]) II S. d. 12. a. I. q. 2.

enim embryonis est visibilis et per vim naturae ad perfectam completionem est perducibilis, illa vero materia sub tali forma incomposita erat et invisibilis et ad formas subsequentes sola divina virtute et operatione poterat perduci. Et ideo propter imperfectionem formae illius materia illa dicitur informis, et propter indeterminatum appetitum multarum formarum confusa dicitur et permixta."[61]) „Erat in diversis partibus materiae, secundum quod Conditor ordinaverat ex eis diversas formas producere, aliquis diversus dispositionis modus, qui non ponebat diversitatem formarum. Sicut si intelligatur, quod aliquod corpus in una parte sit rarius et in alia magis compactum, salva formae unitate; sic intelligi debet in illa materia, quae formam habebat maxime ad multa possibilem."[62])

2. Si quis rem non diligentissime perpenderit, is vereor ne materiam istam et chaos nihil differre arbitretur censeatque esse „mixtum compositum" multarum formarum earumque inter se contrariarum „ita, ut calida pugnent frigidis et humida cum siccis."[63]) Hanc rejicit sententiam Bonaventura. „Iste modus ponendi", inquit, „potius est poeticus quam philosophicus, quia magis sequitur imaginationis fictionem quam rationem, cum secundum istam positionem ponantur elementa illam materiam sic productam naturaliter praecedere, quod nec rationi consonat nec sacrae Scripturae."[64])

3. Secundum illum locum habet quidem formam materia, sed nonnisi incompletam et imperfectam, quam ob causam et ipsa non est esse nisi incompletum Est praeterea disposita ad alias formas; hae quoque sunt incompletae et insunt variis materiae partibus. Nimirum sunt formae illorum corporum, quae „per intervalla sex dierum facta sunt." Haud scio an eas formas sumere possimus pro rationibus seminalibus, quas S. Bonaventura, ut scimus, sumit pro formis incompletis. Sed inclinat ad sententiam, „seminarium illud non esse productum ante quintum diem."[65])

4. Quae materia licet „informis et invisibilis" appelletur et appetitum et inclinationem habeat ad multas formas, tamen cave ne de materia prima cogites. Illa enim „aliquam formam" habet et „extensionem et corporeitatem", ergo esse reale; „nec est producta omnino sub privatione formae nec sub completa distinctione."[66]) Qualem autem eam materiam nobis informabimus? Respondet Bonaventura: „Materia illa non poterat nisi quodam modo balbutiendo describi, quia necdum erat, quod sermo perfecte explicet, sed etiam intellectus in imaginatione deficit."[67]) Proclive est dictu, esse „materiam mundi universalem", quam hodierna scientia rerum naturalium indagasse visa est, cui alii nomen dant aetheris, alii hydrogenii; siquidem inter eam et hanc Bonaventurae materiam maxima similitudo deprehenditur. „Ea enim ante productionem sine dubio est una corporum coelestium et terrestrium, quia una est moles, habens unam formam incompletam; est una, secundum quod est formis elementaribus subjecta. Nam etsi materia subjecta igni et aëri habeat aliud et aliud esse actuale, tamen, quia utrobique subjecta est transmutationi et privationi et possibilis ad utrumque, ideo dicuntur habere unam materiam secundum esse."[68]) Est „incomposita et invisibilis et ad formas subsequentes perduci potest"; est esse incompletum, quod „tam formas simplices quam compositas, quae esse completum tribuunt, praecedebat et praecedere poterat."[69]) Quae cum ita sint,

---

[61]) L. c. q. 3.
[62]) L. c.
[63]) L. c.
[64]) L. c.
[65]) II S. d. 15. a. 1. q. 1.
[66]) II. S. d. 12. a. 2. q. 2.
[67]) II. S. d. 12. a. 1. q. 3.
[68]) L. c. a. 2. q. 1.
[69]) L. c. a. 1. q. 3.

neque elementa integra sunt materia illa originaria, neque elementa inter se mixta, vulgo chaos dictum. Immo subjacet omnibus formis elementaribus; constant elementa ex illa materia et formis peculiaribus.

5. Ceterum S. Bonaventura ad originem rerum naturalium explicandam vix opus habet materia prima, ut qui se addixerit rationibus seminalibus i. e. virtutibus activis, quae sine materia praeformata exsistere nequeunt, ut supra demonstrasse videmur. Quodsi nihilo secius eam tenet, haud omni ex parte sibi constare videtur; neque utitur illa in concreti declaratione.

IV. Conclusio.

§ 8.

1. Quae S. Augustinus, et S. Bonaventura de origine rerum docent reducentes eam ad rationes seminales, ea ad historiam philosophiae naturalis recte aestimandam haud levis sunt momenti. Sane eam, quam adhuc didicimus, talium placitorum formam hodie haud scio an nemo defendat ut nimis magnis difficultatibus implicatam. Sed quae probe tenebimus, fere haec sunt: I. S. Augustino, licet essendi principia Aristotelis transsumserit, ea tamen non suffecisse ad rerum originem explanandam ideoque eum novum statuisse principium. II. S. Augustini doctrinam ne media quidem aetate sectatoribus caruisse, sed imprimis a S. Bonaventura magis quasi excultam esse. III. Eam certis hodiernae scientiae rerum naturalium inventis facilius conciliari, quam Aristoteliam vel Thomisticam; id quod tribus verbis illustrabimus.

2. Nimirum S. Bonaventura arbitratur, Deum inde a principio in materia originaria „seminarium" quoddam reposuisse, in quo quasi in matrice omnium futurorum entium formae praeexsisterent, et ex quo hae volventibus annis per causas naturales elicerentur. Ergo materia formas potentialiter in se habet, et principium efficiens officio fungitur eas educendi. Alicujus igitur entis ortus non solum causa efficienti efficitur, sed etiam magis forma illa potentiali i. e. ratione seminali, quae in materia latet. Haec passiva est eademque activa.[70]) Quatenus virtus activa est, indiget incitamento quodam exteriore, ut forma actualis exsistat, quae materiae conjuncta novam substantiam ponit. Eductio formae igitur non soli causae efficienti adscribenda est; haec nonnisi impellit, ut forma potentialis fiat actualis et ex materia formet novum ens. Sic potior pars in novi entis origine materiae ratione seminali proprie dispositae vindicanda est; causae efficientis munus non tam primarium est quam secundarium. Nam ex S. Bonaventurae sententia ne hoc quidem opus est, ut causa efficiens aequet formam eductam [71]) Idcirco materia, ex qua novae formae educuntur, non jam est materia prima,

---

[70]) II S. d. 7 p. II a. 2 q. 1: „Seminarium inditum se habet quodam modo per modum activi, quodam modo passivi, quoniam cooperatur agenti, et nihilominus ipsum variatur ab una dispositione in aliam"

[71]) II S. d. 15 a 1. q. 1: „Et si tu objicias, quod anima animalis, quae est in potentia, non habet speciem nec actum completum a se, nec potest habere ab aliquo, quod non sit ita nobile, sicut ipsa, et nullum tale est corporale; dicendum, quod essentia talis speciei est in materia, sed in potentia; et illa essentia est ita determinata ad formam talis speciei producendam, quod non potest ex illa essentia sive ratione seminali alia educi, et cum in actum educta est, habet esse et habet tale esse. Quod autem sit in actu, hoc habet ab extrinseco agente, quod erat ens in actu, et quantum ad hoc nobilius est ipsa, quae erat in potentia. Quod autem sit talis speciei, hoc habet ab eo, qui primo hujus formae essentiam indidit materiae; alioquin nunquam natura ipsam ad esse produceret, nisi Deus ipsam materiae indidisset. Et ideo non oportet, quod educens illam formam in actum sit nobilius illa forma educta. Et hujus exemplum in multis potest poni, sicut in mineralibus et in multis terrae nascentibus."

sed materia jam formata et realis, quae propter rationes seminales, quas in se concludit, tanquam principium activum sumi potest. Quae theoria mirum quantum congruit cum doctrina scientium naturalium nostri temporis de actione et reactione causarum efficientium.

3. Hoc potissimum S. Bonaventurae de origine entium doctrina a doctrina S. Thomae differt, qui causam materialem a causa efficienti nimis sejungit easque ita, ut altera tantummodo passiva, activa sit altera. S. Bonaventura autem, si ejus sententiam recte interpretati sumus, exigit, ut causa materialis aliquo modo cooperetur ad entium ortum ideoque in materia ponit rationem seminalem, principium activum.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Antiquitates sacras Hebraeorum tradet bis per hebd. horis deff.
II. Psalmos interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
III. Evangelium secundum Johannem exponet ter per hebd. hora VIII.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

I. Doctrinam dogmaticam de sacramentis exponet et deinceps de rebus novissimis disseret quater vel quinquies in hebd. hora X.
II. Repetitorium instituet examinandi et disputandi causa semel in hebd. die sabbathi eadem hora.

Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam primaevae ecclesiae enarrabit quater per hebd. hora IX.
II. Jus canonicum tradere perget bis per hebd. hora IX.
III. De arte christiana disseret semel per hebd. hora def.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

I. Theologiae moralis partem generalem ad finem perducet, deinde de virtutibus theologicis disseret quinquies vel sexies per hebd. hora XI.
II. Repetitiones et disputationes de selectis theologiae moralis capitibus instituet semel per hebd. hora def.
III. Veterum Apologetarum vitas et scripta explicare perget hora def.

Dr. Antonius Kranich, P. P. E.

I. Reliquam partem apologetices tradet bis per hebd. hora VII.
II. Encyclopaediam s. theologiae docebit semel per hebd. hora def.
III. Introductione in hymnologiam praemissa selectos hymnos ecclesiasticos interpretabitur semel per hebd. hora IX.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Franc. Niedenzu, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Botanices conspectum tradet bis hebdomade hora VIII.
II. Exercitationes botanicas microscopio instituet semel hebdomade hora definienda.
III. Selecta physices capita docebit experimentisque illustrabit bis hebdomade hora VIII.
IV. Potiores quasdam mineralogiae et geologiae partes exhibebit semel hebdomade hora definienda.

Dr. Jos Bender, P P. O

I. Historiam generis humani primaevam resque praecipuorum orientis populorum tractabit bis vel ter per hebd. hora XI.
II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebd. hora XI.
III. De primordiis et fatis linguae theodiscae disseret hora def.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. De arte antiqua disseret ter hebdomade hora IX.
II. Inscriptiones christianas cum commilitonibus leget bis hebdomade hora IX.
III. Latine loquendi exercitationes moderabitur hora def.

Dr. Jos. Krause, P. P. O.

I. Psychologiam docebit bis per hebd. hora X.
II. Metaphysicen tradet ter per hebd. hora X.
III. Exercitationes paedagogicas moderabitur horis deff.

Dr. Joh. Uebinger

I. Jus naturale tradet bis hebdomade hora VII.
II. De vita academica disseret semel hebdomade hora VII.
III. Exercitationes nec non repetitiones philosophicas continuabit horis definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
II. Apparatum arti christianae illustrandae inservientem custodit **Prof. Dr. Dittrich.**
III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt.**
IV. Instrumenta collectionesque, quae ad physicen, mathematicam, astronomiam et historiae naturalis disciplinas pertinent, asservat necnon horto botanico praeest **Prof. Dr. Niedenzu.**